Universitätsbibliothek Paderborn

Iacobi Bidermani E Societate Iesv Vbaldinus Sive De Vita & Indole Antonii Mariæ Vbaldini Vrbinatis, Monteæ Comitis, Breviarivm

Bidermann, Jakob

Fribvrgi Brisgoiae, 1663

Digreßio Lauretana. 11

urn:nbn:de:hbz:466:1-44891

Visual Library

quanto potuit ſenſu, Ieſu nomē opémque elatis clamoribus, vocare. Ab ea voce (res mira vſu) punctum temporis nullum interceſſit, cùm inſperato, in pedes erigitur equus : captoque impetu per obſtantes vndas eluctatus, patrem in ſicco ſaluum ſoſpitemque ſiſtit. Gratulatus eſt Numini hanc ſuam ſalutem pater: & ratus, in ea trepidatione haud nihil innocentes Antonij preces valuiſſe, cum eodem de via ſeceſſit, vt vna Dauidis Pſalmos, à pænitentia inſcriptos, ob depulſum capitis diſcrimen, alternis gratulabundi incinerent.

XI. Digreßio Lauretana.

SEcundum hæc Antonio percommodè cecidit, quod pater de via Lauretum diuertere, atq; ibi

ibi Vìrginis natale domicilium venerari decreſſet. Itaque difficile creditu eſt, quo animi ſenſu, ad ædem illam, tot impreſſis Dei veſtigijs, tot cæli naturæque miraculis beatam, adoleſcens inuiſerit; Confertim vbique multa, hîc Gabrielis ſalutantis, hîc concipientis Virginis, hîc Ioſephi gratulantis, monimenta, vnum omnia in locum confluebant: & intuentem, ſingula ad ſe ita rapiebant, vt patri properanti, non abducendus inde filius, ſed prope iam diuellendus eſſe videretur; quo cœpti itineris curſum tenere; cælóque iam niues & frigora meditanti, ſubducere ſe poſſent. Vrbem denique ingreſſus, prius nihil habuit, quàm vt principem orbis terrarum Antiſtitem, Chriſti Vicari-

um adiret, oſculoque ſacris pedibus affixo, ad auſpicanda litterarum ſtudia, (nam eò venerat) cum bonis omnibus ſe conferret. Delectatus indole Pontifex, gratum dixit ſe habiturum, ſi pro eo, quam res poſceret, virtutes adoleſcens litteraſque amplecteretur. Ita compellatum Pontifex, inter preces lætáque omnia dimiſit.

XII. Ad Seminariũ aduentus.

ROmæ, vt in Vrbe vrbium ampliſſima ſanctiſſimáque, varia ſunt æquè adoleſcentum, ac ſtudiorum inſtituta Seminaria; quæ ſuis quæque legibus, moderatoribûſque, alia alijs reguntur; magno omnia rei publicæ bono. In his non incelebre habetur illud, quod, quia ingenua